

**Dissertatio inauguralis de rheumatismo acuto ... / eruditorum examini
subjicit Carolus Jacobus Fox.**

Contributors

Fox, Charles James, 1798?-1874.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant J. Pillans et filius, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kgamgyuw>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





(1.) Tracts, 1677.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS JACOBUS FOX,

Anglus,

COLLEG. CHIRURG. REG. EDIN. PERMISSUS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS;

NECNON

SOC. REG. PHYS. ET SOC. FLIN. EDIN. SOCIUS.



“ Est quodam prodire tenus si non datur ultra.”—HOR.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXXV.

74.

RHEUMATISMO ACUTO;

D. GEORGE BAIRD, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1892

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

JACOBUS FOX

CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO



VIRO HONORATISSIMO
GEORGIO GULIELMO,
BARONI STAFFORDIENSI,

PAGINAS HAS PAUCULAS,
EXIGUUM
QUO SIT ANIMO
IN HOMINEM
EXIMIIS VIRTUTIBUS
MAGNAQUE MORUM SUAVITATE
TESTIMONIUM,
DICATAS VULT
AUCTOR.

THE HONORABLE

GEORGIO GUILLINO

BARON STATFORDSHIRE

BARON OF TANGIER

KNIGHT

OF THE ORDER

OF THE BATH

OF THE BATH

OF THE BATH

OF THE BATH

OF THE BATH

OF THE BATH

PATRUO SUO,
EDOUARDO LONG FOX, M. D.

HOC

PIETATIS AMORISQUE

MONIMENTUM,

QUA PAR EST REVERENTIA,

CONSECRAT

AUCTOR.

TABLEAU

EDOUARD LONC FOX, M. D.

HOC

ESTATIS AMORISQUE

MONIMENTUM

QUI EST REVERENTIA

CONSERVAT

AUCTOR.

CAROLUS JACOBUS FOX, JOSEPHO,

PATRI SUO OPTIMO, MED. DOCT. S. P. D.

*Verba me deficiunt : nihil enim dicere possem, pater
carissime, quod tuis tot tantisque beneficiis responsurum
esset ; illud tamen nullo tempore confiteri desinam, nihil
respondere posse. Vale.*

To
Dr. J. C. Woodford

from his sincere

friend the Author

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

AUCTORE CAROLO JACOBO FOX, ANGLO.

CUM jam diu quæsissem qua de re Academia nostra celeberrima dignissime disserere possem, præcipiente nimirum ut omnes, qui honoris aliquid in re medica assequi vellent, se hoc modo prius exercuissent; cumque nihil prorsum integri reperissem inter sexcenta ista rerum millia, quæ ars nostra amplectitur; ne potui quidem quin nonnihil vererer viam ingredi, qua tot tantique viri iter confecissent. Attamen confiteor me nihil omnino judicare antiquius,

quam ut coloni, agricolæ, atque omnes profecto qui operam locare solent, valetudine prospera fruuntur; quo nomine mihi tandem propositum est, pauca quædam de isto morbo congerere, quo frequentissime gravissimeque laborare videntur, ut equidem, quando meum fuerit ægrotantibus opem ferre, aliquantulo instructior et paratior tantam rem aggressurus sim. Imo et aliud est, quod facit, ut huic operi memet libentius accingam: quamquam enim ipse, in re medica perbreve utique tempus versatus, nihil fere novi dicendum habeo; est tamen, quod mecum a viro, in rebus hujusmodi multum exercitato, nuperrime communicatum, nullo modo premere velim.

HISTORIA MORBI.

RHEUMATISMUM his verbis CULLENUS ille definit:

“ Morbus ab externa, et plerumque evi-

dente causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus."

In duas species plerumque divisus est, acutam et longam, quarum mihi de acuta agendum est.

Hoc vitium veteribus satis notum fuit; quod vero quantum a Podagra differret nequaquam videbant: id quod BALLONIUS in libro illo, quem anno salutis nostræ 1642, *de Rheumatismo et Pleuritide dorsali* edidit, primus ostendit.

Homines in iis potissimum regionibus Rheumatismo patere dicuntur, ubi magna cœli varietas est; unde nostrates frequentissime periclitantur, autumno præsertim et vere. Videtur, autem, de hac re ne inter omnes quidem constare. HAYGARTHIO enim placet maximum periculum per hie-

mem esse. Qui locos septentrionales incolunt, sunt aliquanto tutiores.

Quod ad ætates pertinet corporumque genera, nemo prorsus periculo vacat: tametsi enim id verum est, quod vulgo dicunt, senectutem et infantiam tanto malo rarissime tentari; tamen a medico quodam haud imperito accepi, se multos infantes vidisse isto laborantes. Sed autem illud utique omnes compertum habent, homines magis opportunos esse inter pubertatem atque quadagesimum annum. Pubertas vero maxime obnoxia est. Feminae rarius occupantur: nec enim mirum est, si vitæ genus respicimus.

Morbus, de quo agitur, ab horrore plerumque incipit. Post horas fere viginti quatuor, articuli dolere cœperunt, primo vero maxima parte genua et tali. Deinde tument, et non nunquam rubent, et dolor sese ut plurimum remittit; at si manum admovemus, intenditur. Dolorem citis-

sime sequitur febris; arteriæ pleniores factæ frequenter micant; cutis mirum in modum calet; lingua primum albida est, deinde fusca; alvus adstricta est; urina parca, et rubra; caput dolet; homo mente labitur.

Sed ne illud quidem hoc loco prætereundum duxi, quod HEBERDENIUS ille noster eximius de hac re proponit, in libro optimo suo, quem de morbis conscripsit:

“ Magnitudo febris rheumaticæ, si quidem ex arteriis æstimanda sit, minus nocet omnibus facultatibus mentis et corporis, quam æque gravis febris ex quovis alio morbo orta; nam isti motus arteriarum qui cogunt alios desipere, aut furere, adeo parum officiunt rheumatico, ut neque languorem afferant insignem, neque semper cibi cupiditatem tollant.”

Sub vesperem febris increscere solita est, atque per totam noctem maxime urget,

quo tempore dolores, ægrotantem gravissime vexantes, per omnes propemodum partes vagantur, neque homo ullo modo, sine magno cruciatu moveri potest. At dicitur, si jacet immobilis, ne dolorem quidem sentire, sed tantummodo calorem.*

Corpus multum insudat: attamen haud circa partes laborantes. Et quidem sudores, quanticunque sunt, neque dolorem levant, neque cutem molliunt, et nihil magna ex parte facere videntur, nisi ut æger multo imbecillior sit.

Cuique hac valetudine exercito vultus tristis est, quod profecto indicium morbi magnitudinem satis ostendit; summa faciei cutis laxa est et humida, nunc pallens, nunc rubescens.

Si morbus aut septum transversum, aut

* SCUDAMORE.

musculos qui, costis levandis, pectus ampliant, invasit, vehementer distenduntur. Sed aliquem maxime torquet, cum intus incidit.

Sanguis missus semper corii instar illud sibi obductum habet. Cum jam morbus aliquot dies mansit, et impetus suos minus frequenter facit, et urina aliquid rubri demittit, quod tamen morbum nequaquam tollit. Etsi vel rubrum illud in urina, vel alvus fluens, vel sudores per totum corpus erumpentes, sæpissime ostendunt morbum in eo esse, ut cito finiatur.

Plurimum autem febris post sexdecim fere dies decedit; dolore aut decedente simul, aut minus vagante, immo, ut ex clarissimo nostro SYDENHAMO accepimus, nonnunquam immanius sæviente.

Quamvis fuisse dicunt, ubi in loco dolente abscesserit; tamen maxima parte res se longe aliter habet.

Dolor sedem mirifica omnino celeritate mutat; nec in articulis tantum urgere solet, sed etiam haud infrequenter partes interiores occupat, septum scilicet transversum, membranam istam costis intus obduc-tam, ventriculum, intestina, denique cor ipsum. Ex his autem septum illud sæpis-sime afficit. Accedit quod semel membra-nam cerebri duram invasit: hominem bre-vi sustulit. Illud etiam nullo modo præ-tereundum arbitror, articulos, capite labo-rante, haud minus doluisse.*

DE CAUSIS.

PROXIMUM est, ut de iis dicam, quæ faciunt homines huic malo obnoxios.

Omnes profecto, ut supra dixi, obnoxii videntur: sed nonnulli procul dubio natura

* SCUDAMORE.

magis opportuni sunt. Quin et dicunt esse, qui id, quod homines proclives reddit, a parentibus acceperint: sed autem, si quando multi ejusdem gentis Rheumatismo ægrotaverunt, videndum forsitan est, an eadem domus, idem victus, idem cultus, idem denique prorsum vitæ genus, illuc aliquid contulisset.* Humida corpora atque gracilia maxime obnoxia esse dicuntur; obesa minime. Porro, quidquid aliquem imbecillum facit, quidquid sudorem vehementer movet, quidquid concoctionem prohibet, facit ut huic morbo magis pateat: cujusmodi sunt calor, exercitatio aut immodica aut nulla, atque alia quam plurima omnibus satis cognita. Supra dictum est, quibus potissimum anni temporibus, quibusque terræ locis, hic morbus mortales exerceat, nempe vere atque autumno, locisque iis, ubi cœlum sæpe et repente mutatur. Dicuntur illi, quibus membrum ali-

* SCUDAMORE.

quod abscissum est, persæpe tentari.* Medicus quidam magna experientia fretus se arbitrari dicit, argentum vivum modice assumptum homines aliquanto procliviores facere; magna vero copia, et per longum aliquod spatium, corpore inde nonnihil fracto, id ex toto tollere, quidcunque sit, in quo hæc febris consistat. Attamen nihil obnoxius est, quam illi quidem, qui antea aut eodem ipso morbo laboraverunt, aut podagra, aut nervorum distentionibus, aut articulorum cujuscunque generis doloribus.

QUOD ad id pertinet, quod morbum in aliquo eidem patente excitare videatur, frigus esse dicunt, humoremque. Et quidem si quando frigus solummodo tantum valere apparet, eo profecto tempore fit, quum corpus supra consuetudinem calens

* WINTRINGHAM.

multo sudore madet. Quantula conjunctio inter hoc vitium atque venereum foedissimum illud intercedat, ex his HEBERDENII nostri verbis cognosci potest: “Mercurialia medicamenta, sæpe tentata nunquam non conjecerunt nonnullos in Rheumatismum: unde etiam fit, ut morbum venereum in quibusdam corporibus semper sequatur Rheumatismus; quem scilicet argentum vivum, alterius causa adhibitum, invexit.”

DE proxima causa parum convenit. Inflammatione sui cujusdam generis consistere videtur; quem autem locum teneat, adhuc quæritur. Longum erat omnes de hac re sententias recensere: alii enim humores, quodammodo vitiatos, in causa esse putaverunt; alii arterias venasque sanguine crasso præter modum distentas; alii, denique, alia. At hæ tamen conjecturæ, qualescunque fuerint, nunc tandem spretæ

novis, vix forsan melioribus, cesserunt;
nam

“ —volvenda ætas commutat tempora rerum :
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore.”

Hoc loco nequaquam necesse est, quid
CULLENUS ille præclarus proposuerit, indi-
care: sententiæ enim tanti hominis, omnibus
bene cognitæ, ne in id quidem proferendæ
sunt, ut aliquis eas se perspectas habere os-
tendat.

Placet cuidam Rheumatismum in extre-
mis musculis, membranaque ista articulo-
rum, nescio quo modo affectis, sedem suam
habere; doloremque ex articulo ad articu-
lum per musculos transeuntem inde pro-
fecto venire, quod sanguis tenuis, in minu-
tissimas arterias prorsum obstructas propul-
sus, refluat quasque tremat. Quamobrem
plurima dicit, quæ rheumaticus conqueri-
tur, ex sanguine plus minus impedito oriri.*

* BALFOUR.

Quamquam enim multi ad hunc morbum natura proclives sunt, non totius utique corporis inter initia malum est. Nam febris, atque alia ista sexcenta indicia, articulorum dolori tumorigue ut plurimum plane supervenire videntur. Proclivitas certe, si quando male concoquit aliquis, aut si minus recte sanguis circumagitur, aut si quid aliud hujus generis est, ex aliqua parte major fit; et ipse quidem morbus, cum jam accessit, crudelior. Suam tantum sedem primùm occupat: universum corpus postea profecto afficit.*

Dicit quidam, inter eruditissimos medicos referendus, se opinari ex illo quidem fieri, ut articuli ipsi in hoc morbo maxime doleant, quod tendines atque omnia id genus, cùm malo aliquo affecta mirificam sentiendi facultatem habeant, multo difficilior arteriis plus solito plenis, atque vicinas partes distendentibus, quam muscoli cedant.†

* SCUDAMORE.

† GOOD.

Si quando muscoli inflammari cœperunt, potius effectus est, quam pars sive indicium morbi.* Si muscoli, post morbum penitus sublatum, imbecilli fiunt, magis in dies marcescentes, ex hac potissimum causa venire potest, quod tendines et ligamenta minus integra faciunt, ut homo membro uti fere nolit: nam id quod cunctis comprobatissimum est, quo minus aliquid sive corporis sive animi exercemus, eo magis debile fit. Nonnunquam rheumaticus dolorem ossium conqueritur, ita ut membranula illa eorum affici posse videatur.†

Quando morbus nervos invadit, ut in isto vitio, quod *Ischias nervosa* appellatur, sæpissime illic per se oritur, nequaquam scilicet aliunde veniens. Incertum autem est, nervine ipsi afficiantur, an theca illa sua. SCUDAMORIUS se illuc inclinare dicit, ut putet nervos ipsos semper tentari. Cum

* SCUDAMORE.

† Ibid.

membranæ serosæ muneribus suis minus recte funguntur, inde quidem fit, quod cum partibus fibrosis sese male habentibus consentire quasi videantur: ex quo accidit ut corde laborante pericardium itidem sæpe laboret.

DE DIAGNOSI.

QUAMQUAM rheumatismus, in extremis corporis partibus natus, ab aliis omnibus fere morbis facile dignosci potest; tamen quando certos quosdam locos occupat, res se aliter habet. Cum enim in musculos, quibus costæ attolluntur, incidit, nonnunquam fit, ut peritissimi quidem, quid eum inter atque inflammata pectoris membranam intersit, vix dicere queant.

Rheumaticus si nullam febrem habet, podagra laborare videri potest. At illud quidem in animo semper habendum est, rheumatismum e prava concoctione multo minus

pendere; tardius venire; minus remittere; magis ordinate sub noctem urgere; frequenter multas partes uno eodemque tempore invadere, majoresque præsertim articulos; cutem nequaquam, ut in podagra, splendentem videri; juniores frequentissime corripì. Neque nulla ægrotantis vitæ ratio habenda est, et parentum, et ipsarum morbi causarum.

DE PROGNOSI.

RHEUMATISMUS acutus, dummodo in extremis partibus sit, nunquam ferme aliquem tollit: at semper tamen, cum alio transire possit, nonnihil periclitatur. Nam ex CLXX hominibus hoc vitio tentatis, de quibus mentionem facit HAYGARTHIUS, duodecim morti succubuerunt. Morbus enim vagus in nobiliores quasdam partes impetum fecit, nunc cerebrum, nunc pulmonem; renes interdum, interdum ventriculum.

Vix autem periclitatur, si quis juvenis est, si arteriæ molles minus celeriter moventur, si dolor minime vagus minuitur, si cutis minus calet, si sudores ex natura sunt, si quid in urina defertur, si cupiditas cibi est, si bene dormit aliquis. Pejus autem est, cum morbus inveteravit, idque præsertim cum vagari cœpit. Si vero homo male curatus est, plerumque fit, ut morbus longum trahens, sine febre, eum usque ad vitæ finem scrutietur.

DE CURATIONE.

ETSI omnes hunc morbum in inflammatione quadam consistere putant, parum tamen convenit, an hac illane ratione curari debeat.

Sanguinem mitti permulti medici peritissimi jubent: sed ex quodam, cujus quidem sententiam haud aspernandam arbitror, accepi, multum mali ægrotantibus hoc modo

allatum fuisse; cum quanto plus sanguinis detrahatur, eo magis vires frangantur, eo-que magis febris urgeat. Imo et ex hac causa venit, ut hoc morbi acutum genus per multos dies trahat, vel dolores ad extremum vitæ terminum permaneant. Quando vero morbus in interiores quasquam partes transiit, nemo dubitat, quin sanguis diligentissime mittendus sit.

Dicunt nonnulli, si quando sanguis revera emitti debeat, et celerius, et multo magis prodesse quam aliud quidpiam remedium. Itaque si quis plenus est et robustus, vena incidenda est; idque iterum, si boni aliquid attulerit, morbo adhuc nihilominus sevient. Magnam autem cautionem habet, si corpus tenue et fractum est. Et illud quidem nequaquam prætermittendum duco, si sanguis semel detractus nihil profuerit, ne iterum quidem detrahendum esse.*

* SCUDAMORE.

Si quem, post cibum minus idoneum, corripuit morbus, vomere debet. Vomitus enim prodest non solum ventriculum deonerando; sed etiam, sicut in febre jam accessura, circumfluentem sanguinem quodammodo afficiendo, movendoque sudores.

Quod spectat ad ea, quæ alvum movent, minus frequenter quam in aliis morbis dari solent. CULLENUS opinatur ista omnia, quæ refrigerare videantur, inflammatione minuenda prodesse. Porro dicit SCUDAMORIUS, purgantibus medicamentis adhibitis, impetum sanguinis circumeuntis non nihil reprimi; febrem semet remittere; absorbentia vasa admodum excitari, adeo ut humores istos, quos inter articulos membranæ suæ nunc supra modum profundunt, affatim resorbeantur. Ad hunc finem præcipit magnesiæ sulphatem, aut si quid aliud hujusmodi est. Hæc vero frequenter adhibenda sunt, idque parvis portionibus.

Dicitur paullulum Submuriatis Hydrar-

gyri subinde assumptum facere, ne morbus trahat; quamvis dolorem levare nequeat.* Attamen huc magis valere videtur cum opio commixtum.† Et enim alvum ciendo, submuriate isto ex intervallis adhibito, multum nonnunquam proficitur; scilicet dummodo ne medicamentum febrem illam sui propriam excitet.‡ At HEBERDENII illud haudquaquam prætereundum est: “Medicamenta” inquit “ex argento vivo mixto cum purgantibus, vel cum opio, sæpe data fuerunt Rheumaticis: quam mendendi rationem reprehendere nolo, quia, video eam peritis medicis placere; laudare tamen non possum quoniam mercurialia sæpe tentata nunquam non conjecerunt nonnullos in Rheumatismum.” CULLENUS, autem, medicamenta hujus generis iis solummodo prodesse putat, qui morbo minus acuto, eoque istud longum genus nonnihil

* GOOD.

† DR. HAMILTON, Lynn-Regis.

‡ SCUDAMORE.

referente, laborent. Atque etiam fieri dicitur, ut medicamenta ex argento vivo, opioque, et antimonio composita, quamvis primum aliquid prosint, morbum recidivum faciant.*

Denique rheumaticus opium, et magnesiæ sulphatem, aut hujusmodi aliud aliquid frequenter sumere debet. Noctu recte capit hydrargyri submuriatem et pulverem antimonialem, paullulo extracti colocynthis vel adjecto vel non; et cras mane salis aliquid purgantis.†

At vero hoc malo laborantibus nihil magis prodesse videtur, quam remedia quæ sudores movendo valent. Priusquam autem hæc adhibemus, inflammatio, aliqua saltem ex parte, minuenda est.‡ Sed sudores nihil fere valent, nisi tenues sunt, atque per to-

* SCUDAMORE.

† Ibid.

‡ CULLEN. HOME.

tum corpus æquales. Si quid boni afferre videntur, facere debemus ut non desinant, donec febris depulsa fuerit. Videndum autem est, ne inter sudores evocandos, corpus aliquanto magis caleat. At SCUDAMORIUS tamen dicit morbum, corpore vehementer insudante, multo magis urgere; leviter vero, minus. Quare præcipit antimonium, parvis portionibus assumptum, ac commixtum cum submuriate hydrargyri, aut opio: itemque ipecacuanham iisdem adjunctam. Sed nihil præstat potassæ nitrati, camphoræ, et alkali isto volatili, inter se commixtis, atque ex aqua assumptis. Omnibus autem remediis, ad hoc comparatis, anteponendam duxit CULLENUS compositionem quandam ex opio, nitrato isto, aliove simili, et aut ipecacuanha, aut antimonio confectam. SYDENHAMUS, quantum consequi possumus, remedia hujus generis nequaquam jubere solebat.

Quod ad ista medicamenta pertinet, quæ sopiendi doloresque levandi facultatem ha-

bent, de validissimo eorum nonnihil supra positum est. Attamen, cum propria quadam vi hunc morbum restinguendi pollere videantur, aliquid in hoc loco proponendum venit. Apud SYDENHAMUM nostrum magnum, illud scriptum legimus,—“ Anodyna sive Paregorica dicta remedia effusiolem sanguinis missionem postulant: quamobrem, ut ut sæviat dolor, per omnem hujus morbi decursum religiose mihi ab his temperandum existimo, modo mihi animo sit curationem a sanguinis missione solum petere; cum illorum usu figatur morbus, neque tam facile venæ sectioni cedat; quæ ideo ob hæc ipsa medicamenta officiose nimis exhibita, sæpius, quam erat opus, celebranda est. Quid? quod et in morbi statu, neque eam, quam titulo pollicentur, ἀναλγησίαν valeant præstare.” Contra HEBERDENUS, “ SYDENHAMUS” ait “ opio uti prohibet in hoc affectu; pace tamen tanti medici dixerim dolores sic impune leniri, et somnum tuto invitari. Præterea, meo judicio, opium non tantummodo importuni

mali præsidium est, sed multum confert ad ipsum morbum tollendum. Vires autem ejus antirheumaticæ, cum in sudoribus eliciendis poni non videntur, æque valebunt in simplici medicamento, ac ubi in Doveri pulvere adhibetur, vel mixtum cum antimonialibus.”

CULLENUS autem dicit opium semper omnino nocere, nisi ad sudores movendos valeat. Quin et alius quidam contendit omnia hujusmodi remedia, opium nempe, hyosciamum, conium, atque alia multa, per se data, prorsus inutilia esse.* At vero SCUDAMORIUS auctor est, opium nunquam non proficere, scilicet ratione alvi, urinæ, atque sudoris, eodem tempore, habita. Dicit, et febre levi, ac corde ob dolorem, potius quam inflammationem, solito magis pulsante, opium aliis cujuscunque modi remediis antecellere; et præsertim cum *pulvere*

* Good.

antimoniali conjunctum. Imo *pulverem. Ipecacuanhæ compositum* ne rejiciendum quidem putat; sed illud multo pluris existimat: quod profecto eo frequentius præcipit, quo magis urgent dolores.

Porro autem aliud quoddam medicamentum est, de quo inter medicos maxime disputatum est, nempe Cortex Peruvianus. Corticem huncce magnis laudibus tollunt alii,* alli† nullo modo adhibendum arbitrantur, quippe qui rheumaticis maxime nocere videatur. MORTONO, qui eum primus dedit, atque ægris vel inter principia præscribere solebat, semper propemodum prospere cessit: id quod HAYGARTHIO quoque accidit, qui itidem morbo jam accedente remedium dabat; neque aliud inveniri posse putavit, quo morbus æque depelli posset. Priusquam corticem dare cœ-

* Dr. MORTON, Dr. FOTHERGILL, Dr. HAYGARTH, Sir EDWARD HULSE, Dr. GEORGE FORDYCE.

† Dr. CULLEN, Dr. SCUDAMORE, Dr. GOOD.

pit, vomitum atque alvi purgationem jubere solitus est.

Denique BALFOURIUS in libello isto, quem de hoc morbo scripsit, fricationes, percussiones, et fascias super articulos injectas, in cœlum fere extollit. Hæc medicina primum facit, ut dolor multo magis sæviat; quod cum fit, per intervallum breve cessare debemus, deinde iterum aut fricare, aut percutire, donec ægrotans nihil amplius conqueratur. Alvus movenda est; et si febris urget, vel dolores ad interiorem aliquam partem transitori videntur, sanguis mittendus. At dicit, tamen, sanguine misso vix unquam opus esse, cum fricationes, et nescio quid præterea, putet semper ad dolorem tollendum valere, atque idcirco febrem; nec aliud quidpiam esse, quod hominem tam celeriter tutoque ad sanitatem perducere possit. Hæc BALFOURIUS.

Quum supra medicorum peritissimorum de hoc morbo sententias proposuerim, restat

ut, quomodo eum medicus quidam, quinquaginta annos in hoc genere versatus, curandum judicet, ostendam: nam haud ab re erit, quid vir tam multum exercitatus viderit, et sentiat, dixisse. Quid de sanguine mittendo arbitretur, supra positum est, nempe, nunquam prodesse, nisi morbus intus inciderit. Affirmat medicamenta ex opio confecta prorsum inutilia esse. Antimonium nihil præter nauseam facere. Sudores nocere. Digitalem purpuream nullo modo, in hoc scilicet vitio, cordis motum reprimere.

Præcipit, autem, ut rheumaticus ex toto conquiescat, neque ulla ratione sese moveat. Diligentissime agendum esse, ne corpus supra gradum nonagesimum octavum incendatur. Alvum magnesiæ sulphate movendam esse, idque tanto magis, quanto magis urgeant dolores; adeo ut nonnunquam sit vel duodecies dejiciendi singulis diebus necessitas. Corpus aëri, quo-

vis anni tempore, committendum; modo alvus simul purgatione quotidiana sollicitetur. Sin autem morbus inveteravit, aliter omnino curandus est.

FINIS.



